



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 5. Quibus ex causis dissolvuntur Sponsalia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

parti suas, imò & ei restituere impensas factas, & damna, seu quanti ejus intererat talem contractum impleri; quia in hoc injuriam fecit.

2. Est jus inchoatum ad rem in corpora mutua, quo fit ut, quamvis usus sit Sponsis illicitus, tamen si Sponsus fornicetur cum alia, vel sponsa cum alio, peccet contra castitatem simul & justitiam. Quæ injustitia, utpote in re gravi mortalis est, ideoque explicanda in Confessione.

3. Est impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

*Q. 5. Quibus ex causis dissolvuntur Sponsalia?*

*Resp. Dissolvuntur 1. Mutuo Sponsi & Sponsæ consensu, c. 2. de Sponsal. sicut alii contractus: nam singuli possunt cedere jure suo; & Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c. 1. de Reg. Jur. idque etiam fuerint juramento firmata: quia in omni juramento promissorio subintelligitur conditio, nisi promissarius remittat. modo tamen ambo sint puberes; nam impuberes ante pubertatem resilire non possunt, c. 7. de despons. impuber. quod statutum est, ne obinconstantiam ac levitatem sæpius nova contrahant Sponsalia, & rursus dissolvant. Sed impubes, cum pervenerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere, nisi intervenerit copula, c. 8. eod. Tit. vel nisi fuerint jurata, c. 10. de Sponsal.*

2. Per Matrimonium validè contractum cum

cum alia persona, quamvis fuerint jurata, ex c. 22. & 31. de Sponsal. quia res tradita per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi priori promissario. Sed pars quæ sic contraxit, alterâ rationabiliter invitâ, peccat mortaliter violando contra justitiam fidem datam: unde in cit. cap. dicitur quòd ei est de violatione fidei Pœnitentia injungenda. Nec secundùm multos Sponsalia postea reviviscunt, cum per illud Matrimonium extincta sint: obligatio autem semel extincta non reviviscit, ex l. 98. de solut. non tamen dissolvuntur per secunda Sponsalia etiam jurata: quia hæc nulla sunt, cum sint promissio de re illicita præstanda.

3. Per superveniens impedimentum Matrimonii dirimens, v. g. affinitatem inter Sponsos contractam, ex unius fornicatione cum persona consanguinea alterius in 1. & 2. Gradu, c. 2. de eo qui cognovit, &c. nam tunc res promissa fit illicita, & jure impossibilis.

4. Per discessum unius in regionem longinquam sine consensu alterius, c. 5. de sponsal. nam censetur juri suo cedere.

5. Secundùm multos per notabilem moram culpabilem sponsi vel sponsæ in contrahendo Matrimonio intra tempus constitutum. Quia qui est in tali mora, censetur alteri obligationem remittere; quamvis ipse ex parte sua adhuc teneatur, si alter velit Matrimonium inire, nam culpa non liberat eum ab obligatio-

ne contracta: alias commodum ex culpa reportaret.

6. Per fornicationem sponsi vel sponsæ cum tertia persona post sponsalia etsi jurata, c. 25. *de jurejur.* quia in sponsalibus intelligitur hæc conditio, *nisi contra legem sponsalium feceris.* Idem dicunt multi, si sponsa permiserit se ab alio impudicè tangi: quia per hoc fit notabiliter vilior, & ingerit metum ne fidem marito non fervet. Quod etiam extenditur ad sponsum, si exercuerit actus turpes circa aliam valde frequentes. Sola tamen pars innocens libera est, nec privatur jure suo ob alterius culpam. Sponsus verò, qui cognito suo jure resiliendi cognovit carnaliter sponsam, tenetur illam ducere: nam per hoc censetur suo juri renuntiasse, & sponsalia renovasse.

7. Per professionem unius in religione approbata, aut per susceptionem Ordinis Sacri, nam utraque Matrimonii incapacitatem parit. Tamen secundum multos non licet sponso Sacros Ordines suscipere: quia frangeret fidem alteri datam in materia gravi justitiæ. At licet ingredi religionem, quia vel ex natura rei, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ hæc conditio in sponsalibus includitur, *nisi voluero ingredi religionem:* cum autem una pars ingreditur religionem, altera juxta multos potest ante ejus professionem resilire; quia ingrediens religionem, hoc ipso censetur renuntiare sponsalibus, vel saltem dare alteri causam justam resiliendi, ob incommodum, quod pati  
debe-

deberet, expectando per annum, ut ei nubat. Sed si egrediatur, tenetur Matrimonium contrahere cum parte id exigente; nam quamvis jura ingressum religionis sponsis permittant, nusquam tamen eos liberant simpliciter ab obligatione sponsalium: & quamvis ingrediens cedat jure suo, manens in sæculo non cedit. Imò ex communi votum religionis post sponsalia etiam jurata factum obligat ad ingressum religionis, & sic ipsa sponsalia dissolvit; quia directè tendit ad altiorem perfectionis statum, quem impedire non debent sponsalia de futuro. Enimverò Matrimonium nondum consummatum non impedit vim & obligationem hujus voti etsi post illud emissi.

8. Ob quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem sponsalibus, quæ si prius exstitisset, à sponsalibus merito absteruisset, & ob quam consensus datus non censetur secundum prudens judicium extendi ad talem casum: ut si superveniat notabilis deformitas, aut infirmitas, morbus contagiosus, mutilatio, ex c. 25. *de jurejur.* Item infamia, graves inimicitæ inter utramque familiam, vel inter ipsos sponsores ortæ, paupertas, sponsæ corruptio etsi per vim, defectus dotis promissæ, magna mutatio morum in pejus, hæresis ob periculum subversionis in se vel in prole, &c. Quia hæc est intentio virtualis spondentium, qui non censentur voluisse se obligare ad standum promissis, in his casibus, & superveniente notabili mutatione, quâ præ-

visâ iudicio prudentum promissio non esset facta: promissio autem non obligat ultra intentionem promittentis.

Porro diversa est ratio in Sponsalibus ac in aliis contractibus: nam ipsa maiorem libertatem postulant, cum ad mutuum amorem, & ad contrahendum vinculum indissolubile Matrimonii ordinentur. Idque etiam si jurata essent, quia iuramentum intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, & includit omnes condiciones contractus cui adicitur.

Idem dic si quid istorum vel simile antea latens detegatur post Sponsalia: ut si quæ putabatur legitima vel nobilis, vel dives, vel virgo, talis non sit, ex l. 5. Cod. de Sponsal. ubi resiliens ex Sponsalibus ob causam præcedentem ignoratam, non amittit suas arrhas, quam amitteret, si injustè resiliret. Ratio est quia respectu ignorantis res sunt notabiliter mutatae, spectatâ priore eius voluntate, cum denuo inveniat defectum notabilem prius ignoratum; & in iure res cum primùm innotescit, idem præstat, ac si tum fieret, ex c. 4. de except. Secus esset, si aliquid istorum ante Sponsalia non latuerit, cum eo non obstante sciens ac volens promississet, exceptâ hæresi. Non possunt tamen dissolvi Sponsalia ob hæreditatem alterutri obvenientem: quia alter per hoc non est factus deterioris conditionis.

9. Si ex Matrimonio mali exitus timeantur, ex c. 17. de Sponsal. vel grave scandalum, perturbatio, &c.

Sed

*Sed an sponsalia dissolvuntur per subsequens votum simplex perpetuae castitatis in seculo servanda?*

*Resp.* Alii asserunt, quia putant sponsalia fieri sub hac tacita conditione, *nisi me Deus ad sanctiorem vitam rationem vocaverit.* Alii cum S. Antonino negant, tum quia id neque ex natura rei, neque ullo jure probari potest; nec fiunt sub conditione praedicta, sed solum nisi status religiosus eligatur; nam nullo jure nec traditione ostenditur inesse sponsalibus hanc tacitam conditionem: tum quia ex c. 5. *qui Clerici*, &c. *Fæminæ*, quæ Matrimonium promisit, Pœnitentia imponitur de fide mentita, quamvis post sponsalia votum castitatis emiserit: tum quia Deus non acceptat promissionem rei prius promissæ & debitæ alteri, tanquam factam in damnum & contra jus illius. Sic obligatio dandi domum promissam Petro diviti non solvitur per votum dandi illam hospitali. Igitur, inquit, qui post sponsalia vovit castitatem, nec potest ab altera parte obtinere remissionem sponsalium, tenetur Matrimonium inire, & debitum petenti reddere, sed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus quæ injuriosa non sunt: unde Sponsalibus vel Matrimonio dissolutis tenetur servare continentiam.

Porro ex communi votum simplex castitatis vel religionis sponsalia præcedens, facit illa irrita, ex c. 6. *qui Cleric. vel nov.* quia tunc sunt pro-

promissio rei illicitæ faciendæ ; nempe ineundi Matrimonium, & executio est peccatum.

*Not.* Ad dissolvenda Sponsalia requiritur auctoritas judicis Ecclesiastici in his casibus. 1. Si moraliter non constet de sufficientia vel veritate causæ dissolvendi : aliàs enim dissolvens se committeret probabili injustitiæ periculo ; imò est injustitia in dubio privare alterum jure per illa acquisito. 2. Si Sponsalia sint publica, causa autem dissolvendi occulta, ex c. 7. *de desponsat.* nam debitus ordo, & evitatio scandali id exigunt.

## CAPUT II.

*De Natura, & proprietatibus Matrimonii.*

*Q. I. Quid est Matrimonium?*

*Resp.* Matrimonium generatim, prout præscindit à ratione Sacramenti, est Maris & Fæminæ conjunctio legitima individuum vitæ consuetudinem retinens, ex c. 11. *de presumpt.* sive est contractus legitimus, quo vir & fæmina sibi mutuò tradunt & acceptant potestatem corporum in ordine ad actum generationis, & se obligant ad se mutuò juvandum, & perpetuò cohabitandum. Sumptum pro Sacramento, est conjunctio supra dicta gratiæ significativa & collativa : sive est contractus modo dictus gratiæ significativus & collativus.

Sumitur etiam vel pro ipso contractu, quo legitimi personæ corporum dominium, ad usum conjugalem, mutuò tradunt & acceptant,